

1599

Inde illud quoque contigerat , ut , maritimarum rerum cura neglecta , litoralia loca incursionibus paterent ; quo fiebat , ut Ferdinandus , Magnus Hetruriæ Dux , post direptas præteritis annis Patras , triremes quinque , tormentis , scalis , ligonibus , atque aliis ad arces oppugnandas egregie instructas , Virginii Ursini nepotis ductu emitteret ; qui in Aegæum delatus , in insulam Chium trecentis circiter militibus eductis , urbem improviso adortus , Turcis perterrefactis , atque in montes propinquos diffugientibus , occupavit ; licet mox de paucitate hostium edocti , ingenti impetu ruentes , centum cæsis , plerisque fauciatis , Hetruscos in triremes compellerent ; qui , aliquot paucis Christianis in libertatem vindicatis , abscessere . Harum rerum successus licet Byzantium perlati Mehemetem maxime commoverent , nihil tamen vel ad obsistendum , vel ad impediendum parabatur ; eo anno triginta tantum triremibus e navalibus emissis , quarum viginti in Euxinum , decem sub Assano Cicala præfecto in Aegæum mare missæ sunt .

Per eos dies Hieronymi Capellii , Reipublicæ ad Mehemetem legati , literæ ad Senatum allatæ : ex Hispania Bætica provincia Mahumetanæ superstitionis hominem ad regiam pervenisse , qui , ut mos levissimæ & credulæ gentis est , cum ad suos a servitute eximendos auxilia a Turcis facile impetrari posse sibi suafisset , purpuratorum atque aliorum turcicæ gentis procerum animos ad Mauros , qui in Bætica provincia erant , liberandos variis rationibus incitabat : id in primis , quod christianis sacris per vim addicerentur , graviter conquestrus . Is cum libenter initio audiretur , atque inde existimationem aliquam nactus esset , mox , vel difficultate , vel hominis levitate cognita , cum concepta opinione excidisset , rem nefariam atque teterrimam aggressus , crebris sermonibus summa asseveratione & contentionе jactabat , nisi Jesu Christi sepulchrum Christianis adimeretur , franciscanæque religionis viri , quorum custodiæ concreditum erat , pellerentur , numquam de Christianis Turcas victoriam relaturos : non aliam ob causam Rodulphum Imperatorem vincere , nisi quod crebra donaria ad eum locum deferri curaret , nuper argenteis candelabris , summa arte ex argento elaboratis , eo transmissis . Ea cum supremus Bassa Regi

*Chios a Vir-
ginio Ursino
cum He-
truscis milis-
te capta.*

*Maure-
tiani ex
Bætica re-
gione ad
auxilia pe-
tenda By-
zantium
missus.*

re-